



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 3. De Monteferrato, ditione Ducis Mantuani.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

NUM. 3. De Monteferrato, ditione Ducis Mantuani.

NOMEN, cur hoc inditum fuerit huic regioni, neque tradidit Merula, nec Blondus, nec Volaterranus, inquit Leander, qui sic dictum putat quasi *montem feracem*, ob miram fertilitatem: nam quod addit de ferro indignum est quod hîc inferatur, aded insipidum est & insulsum. Marchionatus fuit ad annum vsque 1575. quando Maximilianus Imp. Guilielmum III. Mantuæ Ducem, primum etiam Ducem Montisferrati dixit.

QUANTITAS agrè admodum statui potest propter eius partes in alias ditiones sese insinuantes, à quibus vicissim sæpè laceratur, atque aperitur: si tamen pingui Minerua loqui licet, *longitudo* eius desumitur à ruinis Polentiæ prope Clarascum *Cheras*, ad Gaium *Gauio*, agri Genuensis, quod spatium complectitur 25. minuta unius gradus maioris circuli, ac proinde 25. mil. pass. 12. leucas nostrates cum $\frac{1}{4}$, Germanicas sex cum $\frac{1}{4}$.

Latitudo consideratur à *Calizzano*, oppido in Apennini radicibus ad *Carponeto* vicum in Vercellenfili limite 70. mil. passuum, 35. leucarum Francicarum, 17. & $\frac{1}{4}$ Germanicarum.

QUALITAS. Non utar aliis quàm Merulæ verbis, quæ citantur ab omnibus Geographis. Monsferratus mons est perpetuis expansus iugis, totus amœnus & fructifer, omniumque rerum ad vitam vitilium fertilis, & colonis admodum frequens, &c. Nihil hîc incultum propter soli bonitatem, & opportunitatem, &c. quanto magis ab amnibus Pado & Tanaro recedunt, tantò maiores amœnioresque campi, &c. ita *Merula*. Quibus addes ex recentioribus. Hîc tanta frumenti copia nascitur, ut & indigenis & magnis exercitibus alendis sufficiat. Oriza hîc quoque feliciter provenit. Vinum huius tractus cæteris Longobardicis antefertur. Neque hîc Balnea desunt multis morbis salutaria, inter quæ Aquensia cæteris præstant, & magnâ hominum frequentiam celebrantur Maio, atque Septembri mensibus. De iis agemus in Admirandis.

MORES. Huius regionis incolæ ingeniosi sunt, & solertes, bellicosissimi, & Principi suo addictissimi, quem amorem præ se tulerunt potissimum extremis hisce bellis. In negotiationibus ex-

cellunt; ac conuiujs & comotationibus dediti sunt, quò eos regionis vbertas impellit.

ORIGO huius Principatus vulgò refertur ad Aleramum, seu Valramum filium Vitechindi Ducis Saxonix, qui eò adduxit Adelaïdem *Alis*, filiam Othonis Primi, à quo postea regionem hanc obtinuit cum Præfecturâ, & Vicariatu Imperij in Italiâ. Ab eius successoribus Marchionatus hic deuolutus est in Theodorum Palæologum, Ioanne filio Guilielmi cognomento Magni, sine liberis mortuo anno 1305. Is enim Theodorum filium Andronici Palæologi Imperatoris, & sororis suæ Yolandæ instituit hæredem. Tum Marchionatus Montisferrati iacebat inter Alexandriam, & agrum Astensem: sed etiam ei se dedidere Casalenses S. Euaſij cum se ab Imperio proscriptos viderent, propterea quòd cum Ticino, Albâ, Vercellis contra Imperatorem Henricum conspirassent. Ex Theodoro Guilielmus X. ortus erat. Is Casalium mœnibus sepsit, & ei obtinuit Episcopum à Sixto quarto anno 1474. Hæsit autem Marchionatus in familiâ Palæologorum, vsque ad annum 1535. quando mortuis omnibus masculis ex hac stirpe orta lis est de successione inter Ducem Sabaudix, Marchionem Salutarum, & Fridericum Gonzagam Mantuanum Ducem, de quorum iure ex stemmate Principum Montisferrati iudicabis: A Carolo V. Imperatore lis adiudicata est Friderico, & Casalenses qui tum volebant recuperare libertatem ei subiuncti sunt. Idem quoque tentauerunt Casalenses sub Francisco Guilielmi successore, sed spe suâ deiecti sunt apud Maximilianum Imperatorem, & auctores huius consilij solum vertere coacti sunt, quorum iterum consilia & conatus irriti cecidere: tumque Flaminius Palæologus spurius perpetuo carceri addictus est in Gotto oppido agri Mantuani. Atque exinde perduravit in familiâ Gonzagarum hic Marchionatus, nequicquam reclamante Sabaudis, & bello, atque scriptis ius suum persequente. Fœderibus quibusdam Ratisponensi scilicet & Clarascensi aliquid extorsit Sabaudus, sed iis nondum eius fames extincta est. Quanta autem bella ex iis cõtrouersiis enata sunt inter Francos & Hispanos nostri loquuntur Annales, atque Mercurij. Nunc verò Casalium seruatur à Francis, vt & Monsferratus, cui frustra Hispanus insidiatur, vnde tam saepe, quàm ignominiosè repulsus est.

PRIN-

PRINCIPES MONTISFERRATI à Theodoro Palzologo, vt superiores omittam, ita se habent.

THEODORVS PALZOLOGVS Primus Marchio, & author Familix	IOANNES Marchio Secundus	OTHO Secundus Marchio III. obiit sine liberis.				
		IOANNES II. Marchio IV. obiit quoque sine prole.				
			IOANNES Marchio VII. obiit sine liberis.			
				GVI- LIEL- MVS Marchio VIII.	IOANNA quæ nupsit Ludouico Secundo Marchioni Salutarum.	
					BLANCHA quam duxit Carolus Primus Dux Sabaudix.	
						BONIFACIYS Marchio XI. nullâ susceptâ prole mortuus est.
						MARIA prima vxor Friderici Primi Ducis Mantux.
						MARGARITA secunda vxor prædicti Friderici, quæ in domum Mantuanam intulit huc Marchionatum.
						IOANNES-GEORGIYS Marchio XII. in quo defecit proles mascula Palzologorum.
						THEODORVS Cardinalis, & Primus Decanus Salutarum.

POLITIA. In præsentia ditio illa per Francos Præfectos administratur, quos subinde mutari videmus. Dux enim Mantuanus agrè hanc defendere potest propter interiectam partem Ducatus Mediolanensis. Hinc peditum 15. millia, equites ferè mille colligere potest, omnes bellicosos, & in armis experientissimos.

Parall. Geogr. Tom. II.

M M m m m

Centum bellica tormenta Casalij habebat, & arma ad instruendum non leuem exercitum. Inde ante bella sibi 300. librarum milia annui redditus conficiebat, ac proinde ditissimus erat: nunc quid accipiat nobis est incompertum, aliis summam augmentibus supra modum, aliis imminuentibus. Hoc certè statui potest, si regiones omnes huius Principis connecterentur, paucos in Italiâ Principes ei futuros pares, sed interiacet Ducatus Mediolanensis, & ab Hispanis meritò sibi timere debet.

SECT. II. *Geographica descriptio ditionis Mantuanæ*

NVM. I. *Ducatus Mantuanus, òe Mantoianæ*

- MANTVA:** *Mantouia*, nobis *Mantouie*, in lacu Mantuano, quem Mincius Fl. efficit hîc stagnans, 20. millium passuum ambitu; vrbs magna, diues & populosa, ad quam per pontes vel aggeres tantùm datur accessus, ideòque munitissima est. Hîc Ducis palatium tam amplum, tam magnificum, vt 5. Reges hospitio possit excipere Duce ipso non excluso, nam 550. cubicula numerantur, omnia pretiosis stragulis, & aulæis vestita, & pleraque tribus ornamentis quæ subinde mutari possunt. Tres quasi vrbes in lacu ipso Mantuam sepiunt *il Thè*, palatium magnificum, *Borgo di Santo Georgio*, & *Porto Forteze*.
- V R-**
- BES**
- feu
- O P-**
- PIDA**
- &**
- V I L-**
- L Æ**
- BVRGVS FORTIS:** *Borgo Forte*, à Mantuanis oppidum
- Villa Marmioli:** *Marmiruolo*, magnificentissima prorsus à Friderico I. condita magno artificio, sed maiore sumptu. Aquarum hîc mirabilis lusus: vno verbo palatium ad Regem & Imperatorem simul excipiendum factum.
- Petola vicus:** *Pietola*, aliter *Pitalo*, ad oram lacus Mantuani cum Mincium effundit, olim pagus Andes Virgilij incunabulis clarus. Adiacet ei Virgiliana domus Duci perutilis, & ad vtilitatem potiùs quàm ad voluptatem culta.
- Formicofia:** *Formigofa* ad quam Mincius exit ex lacu Mantuano.